

Admodum R^{de} Domine, Literis tuis, datis 24 Aprilis, nondum respondi, quoniam expectabam tertium tomum commentariorum tuorum in Evangelia, quem per Moretum ad me mittendum esse significaveras. Sed, quoniam illa advectio libri differtur, nolui ego differre responsionem ad literas, et gratiarum actionem ad significatio-
nem tam propensae in me voluntatis tuae. Ago igitur gratias tibi pro insigni munere, sive huc adferatur, sive non adferatur. Ago ~~et~~ etiam gratias Deo, quod te tot suis donis ornaverit ad utilitatem ecclesiae suae. Legi enim non solum partem commentariorum in evangelia, sed etiam conciones tuas, quas ad me Moreti haeredes miserunt, in quibus concionibus video coniunctam esse eloquentiam non vulgarem cum multa eruditione et spiritu. ADAUGEAT Deus ad haec sua dona cumulum gratiae, ut inde crescat et gloria. Vale, mei memor in sanctis precibus tuis. Romae, die 16 Iulii 1612.

Admodum R^{dae} D.V.

Uti frater in Christo

Robertus Card^{lis} Bellarminus.

Dñus Franciscus Lucas, Audomaropolim.

Adr.: Admodum R^{do} Domino Dño Francisco Bru gensi, decano et theologo ecclesiae Audomaropolitanae.

Audomaropolim.